TINA
186

Digitized by Google

585414

CLARISSIMO VIRO DOMINO D.

JACOBO FUSCIANO CAUVEL

MERITISSIMO IN CURIA PARLAMENTI

ADVOCATO,

In Regia sede Balliàtus Mondiderini

REGIO PROCURATORI DESIGNATO,

MAJORI EJUSDEM URBIS RECENS NOMINATO,

Ingredienti Collegium ut lustraret.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google



CLARISSIMO VIRO DOMINO D.

JACOBO FUSCIANO CAUVEL

MERITISSIMO IN CURIA PARLAMENTI

ADVOCATO,

In Regia sede Balliàtus Mondiderini

REGIO PROCURATORI DESIGNATO,

MAJORI EJUSDEM URBIS RECENS NOMINATO,

Ingredienti Collegium ut Instraret.

ODE.

Quod à tenerrimis unguiculis fœdus cum Musis inierit.

PRIMIS, recordor, Castalidum sacras
CAUVELUS annis cum peteret domos,
Statim propinquanti verendum
Sponte ferunt patuisse limen.

Arguta doctæ fila movens lyræ
Hic stabat Orpheus; stabat et arduà
Spectandus arce, qui moveri
Saxa sono citharæ coëgit

Digitized by Google

Dircæa. Non hinc Phyllirides procul,
Non, quot quot astris Pierius decor
Evexit, et quos cantat ingens
Ausoniæ fidicen Camœnæ.

Dùm cuncta spectat, cunctaque dùm stupet,
Retrò tulisset fortè puer pedem,
Ni præses antri Diva cassos
Ilicet ire procul timores

Iussisset. Aude, dixit, et inclytos
Subi penates. Quid dubitas? Age,
Disces tuo quæ lætus olim
Consilio veneretur orbis.

Musarum Amantes Musa vetat mori;
Fœcunda palmis te sibi Curia
Brevi asseret, tuoque grandes
Eloquio referet triumphos.

Si te parentis pulchra movent tui
Facta, æmulari ne pigeat: tuum
(Nostro si favebis labori)
Nomen ego super astra tollam.

Digitized by Google

Oracla lætus risit ad hæc puer,
Risuque fœdus sanxit, in intimo
Æternus exin literarum
Pectore amor studiumque mansit.

ALIUD.

QUOD (UT MUSÆ PROMISERANT)
Studiis suis suo capiti lauream imposuerit
immarcessibilem.

FACUNDE magni præstes Apollinis
CAUVELE, doctæ gloria laureæ,
Quem fama, quem laudum ter amplis
Ora sonant titulis superbum.

Quæ lingua fando, quis poterit tuas,
Ardore quamvis turgeat entheo,
Æquare laudes, et potentis
Eloquii Sophiæque dona?

Me vis perurget nobilis impetus,
Quæ clara justis tollere laudibus
Me facta cogit, facta nullis
Fortia temporibus tacenda.

Digitized by Google

Angusta sed nunc pectora dulcibus
Votis repugnant, nec pietas parem
Sortita virtutem Camœnæ
Magna timet minuisse parvis.

Vires volentem deficiunt, tamen
Vincat voluntas, audeat inclytum
Phœbeius aspectasse Vates
Luminibus jubar irretortis.

Mittantur annis acta prioribus,
Quæ nunquam inerti sera silentio
Damnabit ætas, nec maligno
Tabificus petet ore livor.

Dicam ut disertum Nestora viceris
Disertiori voce, sed heu nimis
Te Musa jactas, parce laudes
Ingenij tenuare culpa.

Dominus Mallet, Advocatus Regius.

Hic nos Maletum malumus; is potest
Quas tu mereris spargere adoreas;
Maletus ut bellè intonabit,
Dicite, vicit, Io, triumphat!

Digitized by Google

O te beatum bis ter et amplius,
Cui buccinator tàm bonus obtigit
Laudum tuarum quem decorat
Grandis honos et amica virtus.

Te longa post hæc concinet ævitas,
Spretoque saxi munere, te sibi
Trans stagna lethes evehendum
Posteritas numerosa sumet.

Fac insolenti me pius impleat
Calore Phœbus, fac liceat chelyn
Pulsare vati, fac sonoros
Ritè queam tetigisse nervos.

Tunc è prœalto vertice nobiles
Audax ciebo Castalidum choros
Omnemque Nympharum catervam
In socios animabo plausus.

EPIGRAMMA.

Quod ætatis suæ anno vix trigesimo tertio ad Majoris dignitatem fuerit evectus.

MAjorem dudùm te virtus inclyta fecit;
Quàm malè nunc major diceris esse novus,

Digitized by Google

Sed quod tàm juveni dominas tibi spontè secures
Detulerit populus, quis neget esse novum?

CARMEN SAPPHICUM.

Ut ædes nostras curet resarciri.

URbe quem totâ populi parentem,
Vindicem leges celebrant; Camœnis
Ille, Mœcenas venit ille sacrâ
Voce canendus.

Ecce murorum veteres coïre
Cerno jàm rimas, nitor ecce priscus
Iàm redit tectis, neque ruptus imbrem
Accipit imbrex.

Ista CAUVELUS dabit, otiumque
Hoc bonus nobis faciet, Iuventus
Docta det plausum, manibusque spargat
Lilia plenis.

Nulla CAUVELUM reticebit ætas;
Spondet hoc Phœbus, neque fallet. Olim
Has tibi grates, ea tùm rependent
Munera Musæ.

Digitized by Google

LAUREOLA.

Quod talem Majorem sortiti sint, Cives suam et Urbis suæ felicitatem gratulantur.

NIMIS ô felix, felix Urbs nostra
Tam propitio, tam sollicito
Æthere, tanto digna favore.
Cui conjunctis cuncta laborant
Sidera curis, astra cui vacant,
Atque in vota Deus ipse Deus venit.
Aspice quantus veniat celso
Splendor olympo, quanto tecum
Pignore cœlum, quanto tecum
Munere certet; tandemque tuis,
Inscribe manu memori fastis,
Atque adde diem qui tam felici
Omine surgit, qui tibi tantam
Venit in sortem, nulla unquam dies
Candidiore, nullusque tibi.
Prosperiore luce refulsit.
Procul elapsum revoca tempus
Longèque tuos repete annales
Et quo notatus tandem merito
Stat quisque dies; non est alius
Qui magis æquet, qui vel superet
Vincatque diem illum; illum, inquam,
Quo Major Vrbis sumpsit habenas
Mæcenas noster: Sospitatorem

Digitized by Google

Pauper habebit, dives Amicum,
Iudicem reus, insons Patronum,
Orphanus Patrem, Vidua virum,
Omnes Parentem : Phœbum Camœnæ
Experientur, plaudite Musæ.
O verè dies albo notanda
Lapillo, quippe feliciores
Salutis tantum spem attulerunt,
Hic certam affert cuique salutem.
Vir supra titulos virumque supra
Quo facundius, eruditiusque
Phœbus nil oriens, cadensque cernit;
Tot CAUVELE bonis beate, per tot
Virtutum titulos celebre nomen;
Cui plausus aliàs tot, imperatrix
Urbs orbis dedit; ante curiarum
Quem doctissima sæpius loquentem
Vidit, ac stupuit stupenda cunctis.
En omnes properant tibi triumphos,
Et dudùm meritas parant coronas.
Nullus non tibi solvit ora civis,
Applauditque suo cliens patrono
Totus penè tuus, tuique plenus
Hanc laurum tibi nunc benè ominatam
Suspenditque, vovetque Candidato
[*Sic nam fata volunt*] *perennitatis.*

L. DE BAILLY

Gymnasiarcha et Professor
Mondiderinus.

585414 SBN

Digitized by Google

Réimprimé à cinquante exemplaires.

(Voir *Histoire de Montdidier*, tome III, page 205.)

PARISIIS. DIDOT. 1857.

Digitized by Google

Digitized by Google